Jesuitæ Poloni; Unus illorum loquitur competenter Vallachicè, ceteri nec verbum. Prædicat ille linguâ Provinciæ, alij aliquando Ruthenicè: Exemplares docti, et in servitio Dei ac salute Animarum assidui, fundum habent penes Cæmeterium Ecclesiæ cum intentione Ecclesiam etiam in suum Jus vindicandi, et sic Ordinariorum Authoritatem effugiendi, hac de re inter Populum Jassiensem et ipsos sunt magnæ querelæ, et differentiæ, itaut Populus ad oculos dicat ipsis se non esse confessos à tot annis, nec imposterum confessuros nisi prius Patres restituant Domum cum Cellario non procul ab Ecclesia illa à 60. et ultra annis dictæ Ecclesiæ relicta à qua aliquod emolumentum habebat, uti Ceram, vinum, incensum, et pro Parocho aliquid pecuniæ ipsi vero occupata à quindecim annis fortiter et violenter tenent: tribus vicibus in hac pretensione Populus, Patribus citatis comparuit, et tanquam Judex litem componerem, nullo modo potui inducere Patres Jesuitas, ut componerent etiamsi dixerim nos non venisse scandalizare Populum sed ædificare, non capere sed instruere. Pretendit nunc quoque Populus ab ipsis trecentos Imperiales, et quinquaginta datos pro Lapidibus advehendis, ut Ecclesia ædificaretur, quos Lapides dicti Patres concesserunt Principi Stephano, qui muros Palatij extruxit; pretendit etiam Populus alia bona sub prætextu Ecclesiæ Parochis acquisita, nec implent illam intentionem, pro qua vocati, et